

- 580 *Omnibus inceptis, benefactis sive peractis*  
*Debet proponi decus humane rationi etc.*  
 Magister Adam metricè summulam dictavit,  
 Quam ex summa transtulit Raimundi, nam speravit  
 Hanc prodesse nimium clericis novellis, fol. 15'
- 585 Quorum multi sepius carent his libellis.  
 Ex quibus instruere populum deberent,  
 Se quoque precipue, si scirent et haberent:  
*In summis festis ad missam dicitur una*  
*Tantum collecta, ne sit coniuncta diei etc.*
- 590 Liber de miraculo virginis Marie  
 Se sociat auctoribus hic theologie:  
*Laudis ut eximie titulos augere Marie,*  
*Passim Christe peto da formam carmine leto etc.*  
 In libro qui dicitur Pantheon Gotfridi
- 595 Viterbiensis clerici multa scripta vidi  
 Metricè composita de gestis antiquorum  
 Principum fidelium et incredulorum,  
 Quorum quedam congrue possent adaptari  
 Presenti particule, sed ne dilatari
- 600 Per excerpta talia libellus videatur,  
 Simul hoc et alia stilus detestatur.  
 Multos quidem metricos libros sepe legi,  
 Quos tamen transiliens hic minime compegi.
- Ne velut precautius opusculum fedarem, fol. 16
- 605 Hoc si per incongruos libros ampliarem  
 Et ne sic fastidium per idemptitatem  
 Gignerem legentibus et prolixitatem,  
 Gesta quedam metrica quorundam sanctorum  
 Hic annecti poterunt, quippe cum illorum
- 610 Laudes et victorie potius legantur  
 Quam veterum historie, que nugis colorantur.  
 Ponantur ergo breviter in ordine gradatim,

580 Liber de corpore Christi *i. m.* (= *Petri Pictoris, cf. Fabr. V, 258*)  
 581 *racione c.* 583 *remundi c.* 588 *Summa Rymundi i. m.* 592 *Miraculum*  
*delectabile i. m.* 594 *Gotfredi c.* 595 *Siterniensis c.* 597 *principium c.*